
1
6
516







# DE OPTIMA MEDICORVM SECTA,

# ORATIO INAVGVRALIS.

Habita in Archi-Lycæo Patauino,
die 8. Nou. 1676.

# A CAROLO PATINO

DOCTORE MEDICO PARISIENSI,

*MEDICINAM PRACTICAM INTERPRETANTE.*




PATAVII, MDCLXXVI.

---

Typis Petri Mariæ Frambotti, *Superiorum permissu.*

Illustrissimo & Excellentissimo D.

# D. BAPTISTÆ NANIO,

## EQVITI,

## DIVI MARCI PROCVRATORI,

PATRONO SVO SINGVLARI,

*CAROLVS PATINVS.*

QVantùm Tuo fauori, beneuolentiæ, officijs, beneficijsque singularibus in Extraneum, & nihil de Te meritum debeam, Illustrissime & Excellentissime Vir, nō modò devota mente agnòscere, sed etiam publico præconio prosequi, tam æquum duco, quàm quod æquissimum. Cujus quidem publicum specimen & testimonium non potui non Tibi sistere, primo quovis quod occurrebat quodque conveniret, publici juris facere. Occurrebat autem Oratio Inauguralis & auspicatoria professionis medicæ, Ser. Reipublicæ benignitate mihi indultæ, quæ si meritis & dignitatibus Tuis minùs quàm par est, respondet, (quid enim in me esset Tua amplitudine dignum) saltem hoc nomine Tibi poterit non displicere, quòd primitiarum harum oblatione, speratos messis litterariæ proventus vberiores Tibi sacratum & dedicatum eo, siquidem eos vt expeto & expecto, benevolentia Tua irrigare & ad maturitatem perducere non eris dedignatus. Vale, sicut Tua virtus meretur, O & præsidium & dulce decus meum, in Serenissimæ Reipublicæ ornamentum, litteratorùmque & bonorum omnium columen.

E musæo nostro Patavino, Eid. Nou. MDCLXXVI.

Illustrissimi Excellentissimique Domini, Illustrissime Generosissime Vice-Syndice, Sapientissimi Professores, Φιλίατροι præstantissimi, Auditores omnium ordinum ornatissimi.

*Magnam profectò atque arduam hac die rem aggredior, qui injunctam mihi à Serenissimo Principe profitendæ medicinæ provinciam suscipio: Neque enim ignoro, quanti ea res sit laboris, quantumque studij ac diligentiæ requirat; vt quæ de tuenda hominum sanitate, quâ nihil nobis mortalibus Deus immortalis concessit pretiosius, de cognoscendis innumeris morborum causis, quibus nihil in rerum natura abstrusius, & parandis laboranti naturæ remedijs, quò nihil vel vtilius vel operosius excogitari potest, non solùm verba faciendi, sed etiam præscribendi præcepta, mihi imponit necessitatem. Vnde meritò à Serenissima Republica obseruatum animaduertimus, vt doctissimos & numeris omnibus absolutos viros, hisce docendi functionibus hactenus præfecerit. Id sanè, quominus in locum hunc ornatissimum ascenderem, & immensum hoc onus humeris meis susciperem, deterrere omnino potuisset: Verùm & spectatissimorum Pr cerum benevolentiam, qui me honore hoc non existimarunt indignum, & vestram,* Ornatissimi Auditores, *humanitatem, quâ & alios prosequi consuevistis, me subleuaturas, viresque ingenio qualicunque adjecturas spero; sicque futurum, vt mens co fervore excitata, huic muneri ardentiùs subinde inservire discat, & alacriùs ad majora in dies suscipienda feratur. Spem illam insuper fouere videtur jucunda præteriti honoris laborisque recordatio: Cùm enim à viginti fermè annis in celeberima totius orbis academia Parisina, παθολογίαν vt difficiliorē sic nobiliorem artis medicæ partem, Saluberimæ Facultatis jussu, docuerim, fructum hinc vberiorem ad hos quos video sanctioris medicinæ studiosos, emanaturū confido. Αἰσχρὸν σιωπᾶν, eloquar itaque, & professionis mihi gratiosè demandatæ facturus initium, præcabor ante omnia Deum O. M. vt ea res mihi, huic quam auspicor dignitati, studiosæ quam posthac instituam juuentuti florentissimæ in cujus gremio versor Academiæ, nobilissimæ ciuitati Patauinæ, Serenissimæque Reipublicæ Venetæ, quæ me honorificentissimè promovet, benè ac feliciter eveniat.*

*Cogitanti verò mihi quodnam præcipuè argumenti genus in hoc litteratissimorum hominum concursu tractandum susciperem, vix aliud amplissimo hoc loco dignius accomodatiusque visum est, quàm si opinionem meam* De optima Medicorū secta *explicarem, simulque φιλιάτροις auditoribus meis indicarem iter illud salutare, quo ad sacras Æsculapij Hygiæque aras pervenire detur. Magni enim referre arbitror, sinceram*

philosophandi rationem, cujus auxilio τῶν ἰατρῶν παῖδες ad intima naturæ arcana manuducantur, præmittere; ne neglecta consensionis scholarum ratione, & posthabitis omnium sæculorum viris, eruditione prudentiàque nobilissimis, peculiares quivis sibi fingat disciplinas acquirendi modos, fucatas novitatis illecebras antiquitati præferat, sophisticamque pro sapientia, hoc est, chrystallum pro adamante miretur, diuinæque scientiæ integritatem, suo atque humani generis damno corrumpat & labefactet. Vestram itaque compello humanitatem, Auditores, quæ de tanto argumento disserenti mihi sufficiat, vestramque subleuet in audiendo, patientiam.

Quotquot de Medicorum sectis tractarunt, eas in tria genera distinxerunt, quòd totidem viæ propositæ illis fuissent, qui in hujus artis tum inventionem tum propagationem olim incubuerunt. Etenim qui majoribus ingenij luminibus excelluerunt, ac præter vulgarem cognitionem suæ mentis acie res ipsas cognoscere sunt conati, sensus cũ intelligendi vi conjungentes, eam artis formam quam Dogmaticam appellant, constituerunt. Fuere etiã alij, qui quòd intelligendi facultati minùs quàm par erat, tribuerent, in cõmunissimis quibusdam rationibus sibi subsistendum esse existimarunt, ac hi Methodicã stabiliuerunt medicinam. Reliqui qui fidẽ rerum solis sensibus adhibuerunt, inuestigatione causarum repudiata, Empiricam ab experientia dictam invexerunt. Ac mihi quidem de hodiernis Medicis cogitationem suscipienti, & si multa sæculorum decursu in arte medica mutata esse videantur, tamen eadem sectarum genera jamdudum agnoscere facillimum est: Habent enim & hæc tempora suos rationales, habent & methodicos, habent etiam empiricos Medicos. Ex ijs qui quibus anteponi aut posthaberi debeant, impræsentiarum nobis explicandum incumbit. Non verò repetam hoc in loco longiùs, ea quæ disertè contra sectas à Galeno nostro olim disputata sunt, quòd his temporibus minùs sint accomodata. Illud ostendam, vtramque tum empiricam tum methodicam imperfectam esse ad tantæ & tam operosæ artis constitutionem: Quin etiam illud probabo facilè, ex rationali secta, quæ & ipsa nostra hac ætate dissecta est, eam maximè amplectendam quæ Hippocratis, Aristotelis, Galeni & Auicennæ principijs præsertim innititur.

Ergo vt de Empirica priùs dicam, quæ & tempore prior fuit, quis est vel mediocriter in vera philosophia eruditus, qui non intelligat rationem omnem tolli ab ijs qui solo sensuum judicio rerum naturas inquirendas censent. Quid enim, per Deum immortalem, bruta animantia ab homine differrent, si cognitio nostra præter rudem illam & inchoatam à sensibus petitam rerum notitiam, progredi non valeat? Etenim hoc vno errore doctrina omnis sublata erit, & aditus ad mentis intelligentiæque cultum intercludetur omnibus. Sed dicat fortaße hoc in loco aliquis, τὴν ἐμπειρίαν non negare planè causarum omnem inquisitionem, verùm eam

*in medica disciplina ob naturæ obscuritatem institui non posse. Quasi verò, quod in reliquis longè obscurioribus rebus præstari potest, id in manifestioribus nobisque magis obvijs, sit impossibile. Acies humanæ intelligentiæ cælos penetrauit, profundum maris, abyssos terræ, & familiaria hæc non assequitur? At verò inutilis & laboriosa fortasse erit curiosa nimis causarum abditarum inquisitio: Dicuntur quidem hæc, sed quæ facilè ipso artis vsu refelluntur. Quid enim, nonne in omni medicatione momenta omnia in causarum investigatione consistunt? Nonne vulgi etiam sermone iactatur illud, curari ægros sine causis affectionum cognitis non posse? Qua de re appositè cecinit Mantuanus Poeta,*

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

*Nec est quòd mihi quis de symptomatum concursu cujus notatione differentiæ causarum distinguantur, referat. Cùm enim symptomata alia à morborum causis, alia à locis affectis, alia à facultate ipsa naturæ, alia ab alijs occasionibus proficiscantur, ac ob complicationem variorum accidentium à varia causarum & affectionum connexione profectorum, concursus symptomatum (συνδρομὴν Græci vocant) non idem semper existere potest, quæ jam in morbis eorumque causis obseruationum certitudo à solis symptomatibus oriri poterit? Sed de cognoscendis pathematis contra Empiricos hæc hactenus dicta sint: nunc de ipsorum in dignoscendis remediorum facultatibus more dicendum. Vbi illud initio occurit animaduertendũ, quòd cùm vtilitatis remediorũ obseruatio à concursus symptomatũ notatione istis authoribus proficiscatur, cùm in isto concursu nulla firmitas certitudinis insit, vt paulò ante ostensum est, etiam vtilitatis remediorum obseruatio firma & cognitio certa inde depromi haud potest. Verùm vt maximè illud concedamus, tantam industriam in concursu symptomatum connotando adhiberi posse, vt nullus error committatur, nũ ob id in experiendo remedio nihil interveniet, quod experientis obseruationem impedire queat? Etenim perspicuum esse existimo, pleraque remedia diuersos sæpe effectus præstare, non quidem eadem ratione, sed alios per se, alios verò ex accidente quodam, vt loquuntur Philosophi: Hos verò quia πειρατικὸς experimentator distinguere neque studet neque potest, qui quæso fieri potest, vt in obseruandis remediorum facultatibus non decipiatur? Neque prætermittam, in experiundis auxilys medicis multa alia accedere necessum esse, quæ si desint ipsorum vis & natura investigari haudquaquam potest. His porrò penitus ignotis, impudentissima fronte fingit se Medicum quisquis, cujus tamen personam paucissimi sustinere valent. Infelicissimis ægrotantibus, aut mortuorum amicis superest amplum exclamandi argumentum: Quam stultum est medicorum credere nugis.* Ij præsertim, *scribente Plinio*, discunt periculis nostris & experimenta per mortes agunt, medicóque soli hominem occidisse summa impunitas est. *Longè sapientior Galenus qui nihil vnquam*

*ægrotis exhibuit præter id cujus vis & vsus per rationẽ & experientiam ei non constaret. Perspicitur itaque,* Auditores, *solam experientiam, ac empiricam medendi consuetudinem, ob imperfectionem haud immeritò repudiandam esse.*

*Sequitur* Methodica, *quæ quanquam hoc tempore ex hominum memoria sublata esse videatur; neque enim facilè inveniretur, qui vulgares istas Thessali communitates amplius tueri sustineret, tamen nõ dissimiles absurditates à quibusdam asseri perspicimus, qui cùm empirici videri nolint, præter generalem quamdam, ac confusam tum pathematum tum etiam remediorum cogitionem, nihil prorsus ad medendi artem afferũt: His enim satis est omnes morbos sub frigida & calida causa contineri, eosdem ad laxum vel adstrictum reuocare, ex capitulis vt vulgò loquuntur curationes instituere, nulla circunstantiarum tum ægri tum morbi & locorum affectorum diuersitatis habita ratione, denique auxiliorum differentias vix primis qualitatibus distinguere: Quæ omnia quàm inepta, manca, periculisque plena sint, non possum satis consequi. Principio enim hallucinantur hi ob,* ἔλλειψιν διαιρέσεως, *ignoratione methodi, dùm contra demonstrationis formas, à summis generibus ad infimas rerum species non descendunt: Deinde, morbis non satis distinctis, distinguere etiam auxilia haud possunt: Tum illud quoque vitio non vacat, quòd contemnant earum circunstantiarum obseruationes quæ ab eruditissimis Medicis diligenter expensæ ac animaduersæ semper fuerunt. Ac ipse rerum vsus euidenter demonstrat, quàm multùm intersit, an seni, viro, aut puero medicamentum præbeas, & quo tempore medicationes instituantur, tum quibus in locis ægri quibus opera medica impenditur, versentur; ac quibus viribus, quoque temperamento præditi sint. Hæc, inquam, cùm non animaduertantur ab illis qui laborem in discendo vitare studentes, nescio quæ sibi fingant artis compendia, accidit, vt Empiricis deteriores ineptioresque euadant. Porrò si quidpiam fortunati casu successerit, palmarium facinus ac triumpho dignum se fecisse existimant, Thessali sui vesaniam imitantes: Is quippe sepulchro suo quod temporibus Pliníj Galenique nostri in via Appia conspiciebatur, se jusserat* ἰατρονίκην *prædicari, quò cæterorum Medicorum victor & triumphator superbè declararetur.*

*Itaque methodica illa explosa, reliquum est vt fateamur, longè optimam esse medicinam* Dogmaticam, *quam Hippocrates omnium artium præstantissimam vt & longissimam nuncupauit, Rationi simul & Experientiæ, juxta Galeni mentem, duobus veluti cruribus innixam. At verò cùm hæc nostro tempore bipartita sit, velim Hippocraticam illam, & Galenicam à me intelligi reliquis sectis præferendam. Etenim eam quam Chymici magno supercilio solam jactitant, quare non possimus admittere, causas habemus grauissimas: Nam & ex ijs plerique, cùm neque morborum naturas, neque remediorum facultates norint, neque occasionem vtendi,*

*in qua præcipuum esse Medici munus docuit Plato,* (τὸν καιρὸν *vocat Hippocrates,* opportunitatem *Latini* ) *neque etiam ægrorum circunstantes proprietates expendant, planè ad Empiricos deflectunt, hoc tamen Empiricis ipsis peiores, quòd medicamentis nondum satis expertis ac inprimis violentis & à natura humana alienissimis vtantur. Sunt etiam qui Scyllam hanc fugientes in vicinam Charybdim incidunt incauti, & leui quadam præditi suæ sectæ doctrina, methodici esse malint; ac hi quidem peculiares sibi* κοινότητας *fingunt, ad quas sua accomodent remedia, sed quo successu, infelix nimium eventus ostendit. Reconditiorem porrò hujus sectæ doctrinam sibi arrogant Novatores illi, priscorum Philosophorum & præcipuè Aristotelis dogmata suis probris infamantes, vixque quidquam ex ijs oriri præter materiæ & formæ vniones varias inanesque considerationes, clamitantes. Hos vel omnium qui à duobus annorum millibus inter Musas vixere testimonijs refellere possem, ni hujus* ἀξιώματα *fidem continuam facerent, veram Medicinam, quæ à Tertulliano,* Sapientiæ soror *dicta est, ita arctè Philosophiæ conjunctam esse, vt nullus nisi planè* ἄσοφος, *negare possit ibi Medicum incipere vbi desinit Physicus:* Nam Medici, *inquit idem Aristoteles,* quicumque vel diserti vel diligentes sunt, de natura agunt, censentque principia ab ea petenda esse. *Superbum de eo exstat Ciceronis testimonium:* Sed quis, *inquit,* omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior Aristotele fuit? *Sed demus quædam deesse Aristotelicæ philosophiæ ad summam ejus perfectionem, num ob id nulla erit? num principia in ea rectissimè constituta, submouenda sint? num omnis doctrinæ basis planè demolienda? non opinor: Vtamur potiùs Veterum optimis inventis, & si vel ratio vel vsus rerum plura suppeditat, ea adijciamus, vt quoad fieri potest, ad disciplinarum expolitionem studia nostra omnia conferamus. Quippe hoc pacto illud consequemur, vt & Patrum nostrorum laudatissimis conatibus sua constet gloria, simulque propriam industriam debita laude non priuemus. Non minorem sapit absurditatem quodquidem docent, remedia non quoad contraria sed quoad similia existunt, morbos tollere, sicque veterum Philosophorum* ἀξιώμα *contraria contrarijs curari, explodendum ex Medicorum scholis, arbitrantur. Si etenim ipsorum in medendo rationem quis penitius contempletur, facilè animaduertet, in operibus medicis aliena à dogmatibus suis efficere conari: Quis enim illorum est qui in plethoricis affectibus per alicujus venæ sectionem evacuare non procuret? qui in cacochymicis morbis purgantia non adhibeat? qui in maximis & vehementissimis doloribus demulcendis* ἀνώδυνα *non vsurpet? qui denique in summo vitæ periculo constitutos, post inaniter exhibita Paracelsica secreta, remedijs, vt vocant, Galenicis, ab orci faucibus eripere non conentur? Adeo vel suis parùm fidunt, vt non minùs admirationis commiserationisque pariat eorumdem inscitia ac impostura, quàm stulto-*

*rum infortunatorumque qui illos invocant, credulitas.*

*Legitimè perpendantur ægrorum circunstantiæ, sexus, ætas, temperamentum, vires & vitæ genus: Perpendantur exquisitè quæ naturam lædunt, ad leuissima vsque symptomata: Curatio postea instituatur ad sanandum apposita, citò, tutò & jucundè, ex indicantibus & contraindicantibus, juxta sacram medendi methodum, ratione & experientia comprobatam. Sola est illa* Dogmatica *medicina viro sapiente digna, quæ à Deo O. M. verè servatore, ἀκηζίῳ & ἀλεξικάκῳ concessa, hominem totum à natura morbum tuetur ac reparat.* Nihil est illa melius, *vt Ciceronis verbis vtar,* nihil optabilius, nihilque hominum generi datum præstabilius. *Sola est illa veluti parens immortalitatis altera, cujus ope cæteros mortales ἀποθανατίζουσι artis medicæ coryphæi. Sola sit igitur illa quæ Medicum nobilitet, naturæ ministrum, adiutorem & opificem primarium, illumque supra quoslibet alios Sapientes extollat:*

Ιατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

*Dogmaticæ huic expendendæ si alacrem nauaueritis operam,* Præstantissimi Studiosi, *idem Vobis accidet, quod teste Varrone, olim Hippocrati; non homines modò, verùm & ciuitates seruabitis; sicque juxta Salomonis oraculum, multitudine sapientum, sanitatem orbis terrarum procurabitis.*

*Tempus nunc adest gratum animi testimonium offerendi Serenissimo Principi, Senatui augustissimo, Illustrissimisque atque Excellentissimis DD. hujus Lycæi Moderatoribus; qui communi consensu, me ad hunc honoris academici apicem evexerunt: atque eò majores rependo gratias, quò nulla vel ætatis meæ vel tenuitatis habita ratione, clarissimis toto terrarum orbe Reipublicæ litterariæ luminibus accenseri me jusserunt.*

*Reliquum est, vt gratias pariter Vobis referam, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, hujus ciuitatis Rectores meritissimi, qui sepositis, ad tempus, grauissimis Reipublicæ curis, hanc meam publicam muneris professorij inaugurationem, honorificâ vestrâ præsentiâ, illustrare non estis dedignati. Quo nomine præter notam illam omnibus æquitatem & prudentiam, perenni obseruantiæ cultu Vos veneror, fulgidissimæ Serenissimæ Reipublicæ sydera.*

*Ad vos tandem me converto, Illustriss. & Generosissime Vice-Syndice, Sapientissimi Professores, Auditores quotquot hic adestis patientissimi: Quòd vestras aures mentemque ita benignè mihi commodaueritis, facit vt me totum in æternum Vobis devinxistis. Tantum illud erga me beneficium, quamdiu spiritus hos reget artus, nulla vnquam minuet ætas, nulla delebit obliuio.* DIXI.